

non fuisset, tunc inciperet esse personaliter. Ex quo discimus nos vicissim Deo ita tradere, ut non nostra dumtaxat, sed nos ipsos ei demus; quomodo Josephi industria subditi Pharaonis, non tantum argentum et pecora sua, sed seipsos denique Pharaoni vendiderunt, Gen. XXVII.

III. Indicat apostolorum robur accipiendum a Spiritu sancto ad profitendam et propagandam fidem. Ignis enim inter alias proprietates, mollia indurat, uti ova, si paulo diutius elixentur, vasa figuli, lateres, etc. Erant apostoli sub disciplina Christi bene quidem instructi et moribus efformati spatio triennii: sed nondum consolidati adeoque indurati ad ferendas persecutiones. Erant quasi ova mollia, quasi lateres a sole tosti, Spiritus sancti igne accedente solidi effecti sunt quasi in fornace cocti, adeo ut jam nil timerent, quia in gratia confirmati, et virtute ex alto induti. « Qui enim prius tremebant, inquit S. Chrysostomus, hom. XLVII. in Joan. ac formidabant, post Spiritus sancti acceptionem in media pericula prosilierunt, per ferrum, ignem, bestias, pelagus, et ad omnem calamitatem se intrepidi exposuerunt, et illitterati et idiotæ ita audenter disputabant, ut auditores in admirationem inducerent; ex luteis ferreos, et in cælum erigens, nulli humano affectui subjectos reddidit Spiritus. Talis illa gratia, quæ mœrorem solvit, malas cupiditates consumit, formidinem pellit, nec sinit amplius hominem esse quem afflat; sed tamquam in ipsum cælum translatus, omnia quæ illic sunt contemplatur. » Ergo in igne venit Spiritus sanctus tamquam primus episcopus, confirmationis sacramentum fidelibus administrans. Ejus enim munus est perficere spirituale ædificium atque illustrare quod extruxit Christus. Sine confirmatione sumus quasi templa jam extracta, sed nondum exornata, benedicta lustrali aqua, sed nondum manu episcopi perfecte consecrata ac dedicata. Sumus velut cultri chalybe non firmati, velut pumilionem perfectam staturam nondum assecuti, adeoque imperfecti homines, ut scribit S. Clemens, epist. ad Julium et Julian. audivisse a S. Petro magistro suo. Denique, Christiani erimus, sed luctatores nondum erimus, nisi confirmati, teste S. Augustino, in sent. Et quemadmodum ignis non solum mollia indurat, sed vicissim etiam dura, uti ferrum, emollit: ita Spiritus sancti gratia potest indurata corda flectere et emollire. In vita S. Francisci, cap. XI. nobilis mulier habens virum crudelem, venit ad S. Franciscum rogans, ut suis ad Deum precibus virum leniret; cui Franciscus ait: *Vade et dic illi ex parte Dei et mea, quod nunc tempus est clementiæ, postmodum justitiæ.* Quo nuntiato cecidit Spiritus sanctus super eum, et mox in virum

alterum mutatus, respondit uxori: *Domina serviamus Domino, et salvemus animas nostras.* Uxore ergo suadente, reliqua ætate cœlibem vitam duxerunt, et ambo eodem die ad Dominum migrarunt.

IV. Indicat amorem Dei erga nos. Prov. XXV. docuit Sapiens: *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitierit da ei aquam bibere; prunas enim congregabis super caput ejus.* Hoc est, accendes eum amore tui, qui prius odio frigeat: induratum liquefacies et emollies. Dicunt aliqui medici, (apud Salazar. in eum locum) insaniam quandoque accidere hominibus ex nimia frigiditate cerebri: corrigi vero per ardentem carbonem, in acerva capiti insani hominis impositos. Insani profecto erant Judæi, quando, ut S. Augustinus ait: Multa febre phrenetici insanierunt in medicum suum, dum ipse in cruce suspensus eos curaret. Jam hoc egit Deus, misit enim in capita nostra, qui prius inimici eramus, ignem cœlestem cum innumeris donis Spiritus sancti. Neque hoc solum super fideles, sed etiam effudit in baptismo sanguinem suum super inimicos suos, qui eundem paulo ante fuderant. Mira utique res. Quis enim non expectasset a Christo potius lapides et fulmina in tam immanes hostes? Verum dona potius et amorem effundere in eos voluit, ut ex inimicis faceret amicos. Hinc enim compuncti dicebant apostolis: *Quid faciemus viri fratres?* Illis, inquam, apostolis, quas prius cane pejus oderant ac persequebantur: nec dubium quin amare fleverint, quod Christum Messiam suum tam indigne acceperint, quam prout adorare et summo prosequi amore debuissent. Quid enim facilius quam ignem igne accendi? Ergo si divinus amoris ignis, ita quoque ad nos descendit, quomodo non accendamus amore ejus reciproco? Sane primi illi Christiani ita hoc igne correpti fuerunt, ut omnibus possessionibus suis abjectis, et in commune collatis semper in templo versarentur Deum laudantes, panem pauperibus largientes, quotidie communicantes, semper orantes, nihil nisi cælum cogitantes et operantes. Quare S. Hieronymus, ep. II. ad Damasum papam ita scribit: « Ille ignis mittitur, quem Hieremias ferre non poterat, qui cum animæ nostræ arcana penetrarit, ita nos dissolvit, ita a vetere homine in novum excoquit, ut in illam vocem possimus erumpere: Vivo autem jam non ego, sed vivit in me Christus. »

V. Indicat plenariam remissionem, et quasi exustionem omnium peccatorum, meritis Christi comparatam, et a Spiritu sancto hodie promulgatam, necnon inchoatam. Maximum excitaret gaudium princeps ille, qui omnium subditorum debita dissolveret, eorumque syngraphas publice combureret, uti patet et quorundam exem-

plis. Justinus junior imperator, initio principatus sui omnium æs dissolvit alienum, conquisitis omnibus fœneratoribus, extinctis chirographis, et redditis pignoribus. Quo facto animos simul civium et militum sibi conciliavit. Ita Cuspinianus, in ejus gestis. Similiter et Romanus Lacapenus imperator omnium civium debita persolvit, et tabulas nominum combussit, auctore Cedreno. At vero quanto plus est, quod egit hodie Christus, dum chirographa peccatorum nostrorum per ignem Spiritus sancti comburenda ad rogum damnavit? Si magnum est liberare a debitis pecuniarum, quanto plus est liberare omnes homines a debitis peccatorum et pœnarum infinitarum? Eorum dissolutionem promulgavit heri Christus per ora apostolorum, et dissolvit per baptismum; quis non afficiatur erga tam liberalem Dominum? Principes hujus sæculi licet quandoque offensas in se admissas delinquentibus remittant, non tamen eos facile recipiunt in amicitiam, nec conferent eis gratias, multo minus hæreditatem suam. At vero quibus Christus remittit offensas, iis confert etiam gratiam et jus gloriæ suæ. Simile quid, si terrena cœlestibus comparari possunt, exhibuit Joseph fratribus suis; non enim solum remisit eis injurias sibi illatas, sed præterea etiam impertit quam plurima beneficia, et ostendit benevolentiam argumenta, fruges donavit, convivium apparavit, oscula infixit, perpetuum alimentum in terra optima providit. Quibus omnibus mirum in modum devinxit sibi fratres, (Genes. XLV) ut erroris admissi seipsos redarguerent. Quanto plus nos obligamur Christo, fratri nostro primogenito, qui post tot injurias a nobis acceptas tanta in nos confert bona, non remissionis tantum, sed etiam gratiæ et amicitiam, communisque mensæ, denique et gloriæ in terra viventium selectissima? Quis tam durus erit, qui tot benevolentiam testimoniis ad penitentiam non emolliatur? Tot amoris stimulis ad redamandum non excitetur? Durat adhuc ista Dei nostri liberalitas et profusio, exhibeturque frequentissime in salutaribus sacramentis, præsertim penitentiam, quod instar ingentis rogi omnia nostra debita consumit, et in cinerem redigit. Id unum observandum, ut hoc beneficio utamur, dum rogas adhuc ardet. Fertur Alexander Magnus cum urbem obsideret aliquam consuevisse ante eam accendere prægrandem facem, moxque per præconem cives admonere, ut qui se ipsi tradere, ejusque frui gratia vellent, ad ipsum, dum fax arderet, egrederentur, salvi et incolomes futuri et asylum inventuri: secus vero si post extinctam facem dedere se vellent. Obsidere Christus die pentecostes cepit mundum hunc rebellem, facemque ignis de cœlo missi accendit, ut ei

gratiam denuntiaret suam, atque indulgentiam omnium delictorum; ea tamen lege, ut dum ardet fax, et offertur nobis gratia eam acceptemus. Alioquin se penitentiam diu nimis differamus, et in mortis articulo primum confugere ad eam volumus, quasi nulla alia de re solliciti. Ita nobis super omnia adlaborandum, ut charitatis ignem inextinctum sedulo custodiamus. Atque hoc est quod Josue jam morti vicinus commendavit populo Hebræo: *Hoc tantum diligentissime præcavete, ut diligatis Dominum Deum vestrum,* Josue XXIII. Eecur enim quæso virgines fatuæ a nuptiis exclusæ sunt, nisi quia in suis lampadibus ignem charitatis minime accenderunt? Et cur morientibus datur cereus ardens in manus, nisi ut meminerint ignem gratiæ conservandum usque ad mortem? Nos igitur hunc cereum ita tueamur, ut nullo extingatur tentationis vento, etc.

CONCIO III.

JUBILÆUM QUID SIBI VELIT.

- I. Sensu litterali notat plenissimam remissionem. —
- II. Sensu allegorico signat tempus gratiæ. —
- III. Sensu tropologico denotat fraternam injuriarum remissionem, et animæ propriæ redemptionem. —
- IV. Sensu anagogico notat diem resurrectionis.

THEMA.

Lux venit in mundum. Joan. III.

Quinquagenarius numerus, a quo pentecoste suam sortitur appellationem, numerus sacratus est, symbolum et index perfectæ penitentiam et remissionis, uti docet S. Hieronymus sub initium lib. II. in Isaiam. Hinc Psalmus L. maxime penitentialis est: hinc anno quinquagesimo jubilæum institutum fuit, in quo concedebatur plenissima remissio, Levit. XXV. Porro nostrum novæ legis jubilæum a festo pentecostes cepit promulgari post adventum Spiritus sancti, luce sua apostolos copiosissime replentis, cui non absimilem jure merito æstimamus gratiam et indulgentiam, quæ conceditur fidelibus per jubilæum apostolicum, afferens secum ignem comburentem, et delentem omnia nostra debita, et fontem corda nostra calore gratiæ cœlestis: adeoque altera et repetita quædam pentecoste est. Quo ut liberalius fruamur, explicare aggre-

diemur, quidnam sibi voluerit jubilæum veteris legis.

I. Jubilæum veteris legis ad litteram significabat Hebræis plenissimam remissionem servitutis ac delictorum, et restitutionem honorum abalienatorum. In eo enim servi Hebræi omnes a iugo servitutis liberi fiebant: deinde, contracta debita ex mutuo vel vendito debenti remittebantur; si enim remissio debitorum fieri debebat etiam anno septimo, ut habetur, Deut. XVI. § II. multo magis in jubilæo, qui fuit annus plenissimæ indulgentiæ: ad hæc redibat unusquisque ad possessionem et fundum suum, quem vendiderat; denique, eo anno nemini serere licuit aut metere; et fruges quæ sponte hinc inde gignebantur, in usum pauperum cedebant; cæteris anno præcedenti tanta frugum copia proveniebat, ut sufficere anno sequenti scilicet jubilæo: quod etiam fiebat sexto quoque anno, sabbaticum præcedente; quando vero sabbaticum jubilæus immediate sequebatur, anno sabbaticum præcurrente, tot nascebantur eis frugibus, ut sabbatico et jubilæo atque tribus annis copiam suppetere. Porro Deus hunc annum instituit non unam ob causam.

Primo, ne tribus Israel confunderentur, sed ex possessionibus cuique tribui assignatis dignoscerentur; idque imprimis propter Messiam, ut constaret Judæis juxta vaticinium Jacobi, ex qua tribu nasciturus erat, scilicet ex tribu Juda, Gen. XLIX. ut observat Abulensis. Secundo, ut familiæ honestæ in sua honestate permanerent; ne quis prodigus de familia omnia dilapidaret in fraudem et damnum posterorum, adeoque familiam everteret; quo fine etiam multi nobiles fundarunt bona fidei commissa, ad conservandam familiarum honestatem et nobilitatem. Tertio, ut poneretur modus avaritiæ divitum, qui non satiantur alioquin coemendis pauperum fundis et possessionibus, adeoque eos devorant. Quarto, ut servaretur aliqua inter Judæos æqualitas et opum mediocritas, ne aliqui fierent ditissimi, alii pauperrimi; itaque invidiæ, superbiæ, luxui, arrogantiae, murmuri et imprecationibus occasio daretur: sed omnes sua sorte contenti amice inter se degerent. Quinto, ut scirent Judæi se a Dei liberalitate terram Palæstinæ obtinuisse, adeoque non tam dominium quam usum ejus habere, uti indicatur Levit. XXV. § XXIII. Denique, ut pauperes in anno jubilæi solatium aliquod haberent in perceptione frugum, quæ tunc ultro nascebantur, et divites inde discerent subvenire et compati illis. Si enim anno quinquagesimo uti et septem non haberent quod meterent, adeoque queruli dicerent: *Quid comedemus anno septimo, si non severimus neque collegerimus fruges nostras? recor-*

darentur pauperum, quia ille egestate et sollicitudine perpetuo laborant, et nullo prorsus anno habent quod metant.

Cæterum ad hoc jubilæum quinquagesimus annus post septem annorum septenarios decursos a Deo præstitutus est propter septenarium numerum: qui propter diem sabbati, septimum, institutum ob beneficium creationis mundi, sacer est sacris litteris, ideoque Hebræis variis modis inculcatus: nam septimus dies erat festus, sabbatum videlicet. Secundo, septima hebdomada completa erat pentecoste. Tertio, septimus mensis erat quasi: *Sabbatum mensium*, ut ait Origenes, homil. XXIII. in Num. magna ex parte sacer, festo neomeniæ, tubarum, expiationis, tabernaculi, cætus seu collectæ. Quarto, septimus annus erat sabbaticus, annus libertatis ac remissionis a servitute et debitis. Quinto, post septem hebdomadas annorum, scilicet post septies septem, seu quadraginta novem annos constitutum fuit jubilæum: omnia hæc festa tendebant in gratiarum actionem, pro beneficio creationis, ut scirent et meminissent homines a quo creati et omnibus bonis cumulati essent; ne aliquando dicerent cum Pharaone illo: *Meus est fluvius et ego feci memetipsum*, Ezech. XXIX. § III. sed ut ipsi subjecti et grati essemus pro tot tamque continuis beneficiis, quæ a creationis tempore constanter percipimus. Denique, jubilæum hoc denuntiabatur Hebræis anno præcedente per insonantem buccinam, eamque pastorem, qua evocari solent pecora ad pastum educenda; ad insinuationem publicæ lætitiæ, qua perfundendi essent, servi educendi ad libertatem, debitores liberandi ære alieno, pauperes reducendi ad possessiones suas. Septies ergo completo septenario, annis scilicet quadraginta novem sequebatur annus quinquagesimus, in quo summa animi quiete et spirituali gaudio voluit Deus recoli memoriam beneficiumque mundi conditi. Atque istud erat jubilæum Hebræorum, satis ut apparet, carnale, pro illius populi stomacho et capacitate. Nunc videamus spiritualia.

II. Sensu allegorico denotabat tempus Christi et gratiæ, de quo vaticinatus est Isaias, cap. LXI. in persona Christi loquens: *Spiritus Domini super me, etc. ut prædicarem annum placabilem Domino, q. d. annum divinæ benevolentiae, quo dimittebantur captivi, sanabantur cæci et contriti corde, etc. (ut præmiserat) similem anno jubilæo. Quæ verba velut de se scripta legit Christus ex libro sibi tradito in synagoga patria, Luc. IV. asserens in se tunc fuisse impleta. Fuit sane et est tempus istud plenissimæ remissionis, cujus gratia potissimum fuit institutum a Deo antiquum jubilæum, ut omne suum gaudium, libertatem, redemptionem, remissionem et res-*

titutionem honorum omnium requirendum in Messia scirent. Et quidem Christus ad initium anni illius, quamdiu scilicet in hoc mundo vixit, fuit admodum liberalis et profusus ad indulgentias et quascumque gratias quibuscumque impertierat. Tam enim corporales morbos et miserias omnium, quos pertransiit, saltem requisitus, sanavit, quam spirituales, remittendo penitentibus peccata non solum quoad culpam, sed ut colligere ex evangelio licet, et quia Dei perfecta sunt opera, etiam quoad pœnam, nemini injungendo satisfactionem aliquam pœnalem, præter resipiscentiam: *Vade, et noli amplius peccare*. Sic absolvit Magdalenam, sic adulteram, sic paralyticum, sic debilem ad piscinam sanatum, sic latronem penitentem, sic Petrum et Thomam, sic Matthæum et Zachæum. Neque vero ex hoc aliquis deducat hanc sequelam, quod etiam reliquo gratiæ tempore tam copiosa indulgentia et liberalitas omnibus impertienda sit; quod enim ad morbos corporales spectat, quia conducunt sæpe mentis sanitati, non expediebat illos tolli: et quos sustulit Christus, non nisi in ordine ad sanitatem animorum sustulit, ut per id sibi populum conciliaret, et postea etiam a peccatis sanaret, simulque se Messiam demonstraret. Quod attinet ad morbos animi reliquit suæ Ecclesiæ potestatem et remedia ad eos persanandos non tamen ita profusa, ut nihil omnino pœnæ persolvendæ superesset penitentibus; quia hoc non expediebat: ne libere nimis homines delinquerent, et remedia vitii sanandis necessaria negligerent. (Est enim satisfactio medicina peccatis admittis, et frænum admittendis.) Fuit itaque tempore illo major data indulgentia, quia major in populo adhuc carnali indigentia; et quia ipse gratiarum Dominus præsens aderat. Solent principes in publica lætitia, v. g. in auguratione vel nuptiis suis, tales impertire subditis suis gratias et favores, quales non concedunt aliis temporibus. Matthias Corvinus Hungarorum rex, anno salutis 1476. Budæ nuptias cum Beatrice Aragonia celebrans, publicæ hilaritatis gratia, noxios omnes in carcere deprehensos, solutos dimisit: præterea alia crimina impunitate donavit, debita ad tempus prorogavit, et ne creditores ullo modo sævirent in debitores per menses aliquot, legem promulgavit, Bonfin. lib. IV. dec. IV. Consimili ratione æquum ac conveniens fuit, ut Christus Ecclesiæ sponsus, dum in terris degens sua quasi sponsalia et nuptias celebrabat majorem liberalitatem exhiberet filiis sponsæ; id quod indicare videtur Matth. IX. quando discipulis Joannis respondet, cur discipulos suos non affligat jejuniis: *Numquid possunt flui sponsæ lugere*, inquit, *quamdiu*

cum illi est sponsus? Veniet autem tempus, cum auferetur ab eis sponsus, et tunc jejunabunt. Aliquid igitur Ecclesiæ adhuc novitiæ et teneræ præsentis præsertim sponso et gratiarum auctore indulgendum erat; quod postea continuari non expediebat. Certe etiam Saul rex in die publici gaudii parti ex debellatione hostium noluit occidi reos læsæ majestatis suæ, 1. Reg. XI. et David quando ab exilio redux restitutus est in regnum suum, similem reum absolvit Semei: *Ergone hodie, inquit, interficietur vir in Israel? An ignoro hodie me factum regem in Israel? Et ait rex: Semei non morietur*, II. Reg. XIX. Non igitur mirandum, si parem aut majorem clementiam exhibuit Christus peccatoribus, quo tempore in mundo de peccato, dæmone et morte triumphavit. Neque tamen omnino posteris etiam sæculis negavit hanc magnificentiam suam, quinimo subinde exhibet, quoties scilicet per suum vicarium Romanum pontificem indulgentiam plenariam et jubilæum concedit. Tunc enim condonare una cum culpa etiam pœnas solet, pro exiguo quodam piorum operum penso, quod sanè ingens est beneficium. Ex thesauro enim meritorum suorum et sanctorum persolvit debita nostra, nosque liberos dimittit ab omni reatu et servitute dæmonis necnon pristinae possessioni meritorum nostrorum, restituit. Cardinalis Romanæ Ecclesiæ, si noxio ad supplicium ducto galerum suum imponat, a supplicio eum liberat, et vita ac libertate donat, teste Alex. Loffæo, ex Paulo de Castro, in lib. addictos in princ. C. de appellationibus: quæ gratia si cui reo contingat, quanto enim gaudio perfundi existimamus? At hoc et quidem longe majus exhibetur peccatori, cum conceditur indulgentia: ad pœnas enim purgatorii, aut alias hujus sæculi pergenti imponitur galerus cardinalitius, cum applicatur satisfactio Christi et sanctorum, ut ab omni pœna liber sit. Quis tantam Christi benevolentiam et munificentiam non summis extollat laudibus, et excipiat gaudiis? Solent etiam apud Sinas nonnunquam regis beneficio generali largitate condonari culpæ et debita, ut refert ex nostrorum litteris p. Lorinus, in Levit. c. XXV. Idem agit summus pontifex pro fidelium solatio ad finem mundi jam accelerantem, ut deficiente sensim fervore et rigore penitentiae succurratur illis ex thesauro indulgentiarum. Grata igitur mente et impenso studio suscipere nos decet salutare jubilæum.

III. Sensu tropologico designat jubilæum, quod unusquisque sibi ac fratri suo impertire debet, eripiendo imprimis animam suam a capacitate dæmonis, et reducendo ad pristinam conditionem, quem peccato vendidimus: quod dimittendo etiam in libertatem eos, qui nobis

obligati sunt, sive debito aliquo contracto, cui non sunt solvendo, sive illata aliqua injuria. « Hoc vere sanctum (inquit Rupertus, in Lev. c. XXV. exponens nomen) et pulcherrimum jubilæi festum est evangelica clangente buccina celebrandum, ita ut revertatur homo ad possessionem et familiam suam, cum offensam in nos remittimus, ut omni discordia soluta cuncti redeant ad pristinam familiam pacis et concordie, atque habeant cor unum et animam unam, canantque: Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum. » Equum vero et justum est, ut qui plenam remissionem suorum debitorum petit expectatque a Deo, hoc idem beneficium proximo impendat: præsertim ut condonet levia, qui condonari sibi vult grandia: *Gratiam pro gratia*, ait Joannes Baptista, Joan. 1. Qui impertit inimico gratiam, gratam a Deo accipiet indulgentiam pro indulgentia: *Da et accipe*, ait Eccl. cap. XIV. *et justifica animam tuam*. Da veniam homini, et accipe veniam a Deo; sic justificabis animam tuam et frueris jubilæo. Nihil accipies, si nihil dederis. Unde Psal. VII. ait David: *Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam merito ab inimicis meis inanis*, h. e. vacuus hinc discedam sine ullo quæstu, quem facere poteram, si ignoscere voluissem. Hebraice habetur *fatuus pro inanis*, q. d. fatuus merito indicabor, si thesaurum quem ab inimicis mihi comparare possum, e manibus elabi sivero. Hoc enim est quod Zacharias cecinit: *Salutem ex inimicis nostris, et de manu omnium qui oderunt nos*, Luc. 1. Jam si proximis nostris indulgentiam liberali dare manu jubemur, multo magis nobis ipsis, ut unusquisque redimat animam suam a servitute dæmonis, sicque postliminio revertatur ad possessionem suam patriæ cælestis, quam pro vili lucro aut voluptate turpiter vendidit. *Miserere animæ tuæ placens Deo*, inquit Ecclesiast. cap. XXX. quia nimirum vinceta et misera servitute oppressa est; redime igitur eam, si placere Deo quæris. Quis in carcere conclusus ob capitale crimen, si carceris ostium sibi apertum a custode videat, non quamprimum inde profugiet? Certe cum Salamantica s. p. n. Ignatius et socii ejus duo ob inanem suspicionem publicæ custodiæ mancipati fuissent, accidit, ut reliqui vinceti, nescio qua fortuna carcere aperto, omnes effugerent, præter socios Ignatii, qui una cum illis tenebantur in separato carceris ergastulo, quia nimirum illi rei, isti innocentes erant, ut habetur in vita s. patris, l. 1. c. XV. auct. Ribad. Neque hoc mirandum; quis enim non consulit vitæ suæ, cum occasio patet? Signum igitur manifestum est nescire peccatores se vincetos esse diaboli,

dum aperto jubilæi ostio necdum eluctantur, nec evadere curant.

IV. Senu anagogico denotat gaudium resurrectionis, et quietis sempiternæ, quæ sequetur septenarium completum, seu mundi ætatis septem; ubi primo, angeli clangente ultima tuba denuntiabunt jubilæum; deinde, a servitute liberabuntur omnes servi Dei, et quiescent in sancto beatitudinis otio; revertentur quoque ad primam suam possessionem, paradysum scilicet cælestem, qui inde ejecti fuerunt, accepta prius peccatorum remissione; cessabit denique omnis agricultura meritorum et demeritorum; cessabunt omnia debita naturæ humanæ, timor, languor, curæ, morbi, servitus, mors, et jubilabunt omnes filii Dei, et in templo ejus dicent gloriam. Porro hoc omnium felicissimum jubilæum jam nobis demonstratur a longe conspiciendum et lucrandum, necnon per id, quod Ecclesiæ indultum est, non difficile obtinendum, si quæ præscripta sunt remedia, sedulo adhibeantur. Nunc ergo contingit nobis suo modo, quod contigit S. Stephano pro Christo decertanti contra perfidos Judæos, ut nimirum videamus nobis cælum apertum, adeoque paratum ad nos excipiendos, si cum protomartyre illo pugnare non negligamus. Certe cum in illius sancti festo quidam concionator Reginaldus ord. Præd. concionem haberet, et inter alia diceret: *Ecce nunc cæli aperti sunt volentibus introire, sed mox in æternum claudentur eis, qui hoc vitæ et bene agendi tempus neglexerint*, audiit hæc quidam celebris Bononiæ doctor, nomine Moneta, qui prius conciones de industria fugerat, et vix tandem eo pertractus erat; audiit, inquam, et quamprimum verbis illis captus ac permotus est; ut abdicato sæculo sacram Reginaldi peteret et indueret religionem, ut habetur in chron. pp. Prædic. l. 1. c. XXXVII. p. 1. Nunc igitur prostat vœnale regnum cælorum, et quidem vili pretio: nunc jubilæi tempus est, nunc annus remissionis. Cogitate quale gaudium nuntiaretur inferis, si quod jubilæum buccina clangente per inferum promulgaretur. Sed actum est cum illis: non audient hunc sonitum usque in æternum. Rogus ille gehennæ denotatus per rogam illum, quem accendit Nabuchodonosor, adeo ut ejus flamma ad quadraginta et novem cubitos ascenderet, ut habetur Dan. III. quinquagesimum tamen non attingeret. Rationem desideratis? Exponit B. Petrus Damiani card. l. VI. ep. XXIV. « Non enim ad quinquagenarium numerum, id est, usque ad mystici jubilæi potuit pertingere sacramentum: jubilæus enim annus requietionis est. » Ignis vero ille inextinguibilis est, et qui eo comprehensit: *Requiem non habent die ac nocte, sed fumus tormento-*

rum eorum ascendet in sæcula sæculorum, Apoc. XV.

CONCIO IV.

QUANTI ÆSTIMANDA SIT S. CONFIRMATIO.

- I. Colligitur id ex cura et sollicitudine episcoporum.
- II. Ex desiderio susipientium. — III. Ex odio Satanæ. — IV. Ex damno neglectus.

THEMA.

Lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras quam lucem. Joan. III.

Maximum et admirandum Dei opus est, cæli et terræ (quis negare potest?) e nihilo procreatio. Attamen si hoc opus destitutum luce foret, quanto bono careret? Quis tunc æstimaret illius operis amplitudinem et pulchritudinem? Quam ea informis machina esset? Hinc enim Gen. 1. cum creatæ terræ mentio facta esset, statim subjicitur: *Terra autem erat inanis et vacua*. Quia antequam lux fieret, omni carebat ornatu et decore; non eam vestiebant plantæ, non homines incolebant et animalia, aquis quoque cooperta erat. At ubi lux creata fuit, tum aliam induit speciem, cum vestiri plantis et incolis suis cœpit. Mihi videtur homo post susceptum baptismum non lum accepta confirmatione, non multum abludere a cælo et terra illa vacua, primo die mundi creata. Possidet enim baptizatus cælum, cum accepta Dei gratia vivere cælo cœpit. Verum adhuc informis atque inornatus apparet, quamdiu Spiritus s. sua luce eum non collustrat: hanc vero a Spiritu s. homini præberi docet Tertull. l. de resurrect. carnis, cum omnia, quæ ad confirmationis sacramentum spectant, exprimens ait: *Caro ungitur, ut anima consecratur; caro signatur, ut anima muniat; caro manus impositione adumbratur, ut anima a Spiritu illuminaretur*. Ergo lucem homini præstat Spiritus s. Magni igitur æstimandum est hoc sacramentum, quod hominem ex informi et incomposito facit ornatum et compositum. Id vero unde colligi queat, nunc videbimus.

I. Colligitur ex cura et sollicitudine pastorum, qui eam conferunt. Pastor ejus sunt oves, sollicitus est de illis, ne eas perdat; idcirco inter alias industrias eam etiam adhibet, ut suas oves notet signaculo impresso, quod aboleri nequeat. Dux etiam militiæ, qui milites suos educere vult ad prælium, curat imprimis ut armis debite instructi sint, ne sicut oves ad macellum ducat. Ita Saul emissurus Davidem ad singulare certamen contra Goliathum, prius munire conatus est propriis suis armis, 1. Reg. XVII. Princeps pastorum et summus noster militiæ lux, Christus, prævidens pericula nostra et hos-

tes, a quibus impugnamur, sollicitus de nobis, et ipse quoque nos signare confirmationis characterem et munire ejus armatura volens, instituit hoc sacramentum, ubi prædixit Joannes Baptista, Matth. III. cum ait: *Ipse vos baptizabit Spiritu sancto et igni*: Spiritu sancto in baptismo, igni in confirmatione, quæ confirmavit in pentecoste discipulos suos visibiliter; alios postea invisibiliter, ut exponit ibi S. Anselmus: *Igni*, inquit, *confirmationis ad corroborationem et inflammationem bonæ operationis et munimentum bonorum operum*. Sollicitus etiam pastor Paulus cum venisset Ephesum et invenisset ibi quosdam credentes, primam habuit curam interrogare de confirmatione: *Si Spiritum sanctum accepistis?* Cumque illi nec audisse quidem se aliquid de Spiritu sancto dicerent, ut pote baptizatos solum baptismate Joannis, confestim jussit eos baptizari, et ipse confirmavit eos, Act. XIX. Sollicitus etiam S. Bonifacius, archiepiscopus Moguntinus de Frisonibus, jam initiatis et sacramento confirmationis armandis ad eosdem peregrinatus est cum vitæ suæ discrimine, imo et dispendio: quos enim velut filios Spiritu sancto confirmandos expectavit, hostes reperit et sicarios, ut in ejus vita. Quid de S. Mauritio episcopo Gandav. dicam, qui vocatus ad quemdam puerum moribundum confirmandum, paululum tardans reperit puerum jam defunctum? Quare hanc suam, ut ipse aiebat, negligentiam multis annis luxit, relictoque episcopatu, clam fugiens prælongam ac molestam suscepit peregrinationem mari transmissa, septennio exul, donec Dei voluntate repertus et reductus est, Venantius Fortun. in ejus vita. Non aliter S. Anselmus archiepiscopus Cantuar. cum ex Anglia migrans in quodam loco plurimos confirmasset, jamque inde discessurus puellam, quæ eadem confirmationem affectu expetierat, suorum consilio non irrationabili persuasus, eo subsidio destituisset, paulo post errore quemalem expendens, tantum concepit dolorem: *Ut quamdiu vitæ præsentis superfuit, pœnitudo ipsius facti, ut sæpe fatebatur, ab animo ejus non recesserit*, ut in ejus vita Edinerus, lib. II. cap. XXXII. refert in hæc verba: « Venerunt (Bertini) ad eum honorati quidam de indigenis viri flexis genibus obsecrantes, quatenus filios eorum per impositionem manus suæ sacri chrismatis unctione signaret. Ad quod mox ita respondit: Et nos, pro quibus petitis, libens in hac causa suscipiam; et alios hoc sacramento egentes, si præsto fuerint, non abiciam. Qua ibi facilitate responsi benignitatem viri admirantes magnifice lætati sunt, et gratias egerunt confirmati- que pueris suis, illico totam urbem his, quæ ab ejus ore acceperant, impleverunt. Videres